

30

mæ Sacramentorum necessitatem , sed omnem substantialem mutationem excludunt . Sane sive Sacramenti alicujus forma aperte in Evangelio inveniatur , sive ex Traditione Divina ortum ducat , nihil licet omnino novare ; & quamvis accidentalis mutatio , quia substanciali Sacramenti non attingit , licet illicita & sacrilega , Sacramenti validitati nihil obster ; essentialis tamen mutatio Sacramentum nullum & invalidum reddit . Idque probat usus Sanctæ Matris Ecclesiæ , quæ semper respuit Baptisma ab Hæreticis collatum , qui a præscripta Sacramentorum forma recesserant , ut dictum est de *Cataphrygis & Paulianistis a Niceno I. & a Laodicæna Synodo* damnatis .

§. XII. Catholicam veritatem ratio ipsa plenissime confirmat ; nam partes essentiales substantialem mutationem non patiuntur sine essentiali mutatione totius ; materia vero & forma ( ex pr. I. & II. ) ex Divina institutione , se se habent tanquam essentialia , quæ Sacramenti essentiam constituant ; ergo ipsarum essentialis mutatio Sacraenta ipsa mutat ; irritat igitur , nulla & invalida facit .

#### S C H O L I O N .

Præcipua Novatorum argumenta exponere & refellere conati sumus in *Sch. prop. III.* ; advertendum vero hic est , non male a Catholicis rebaptizari , saltem sub conditione , baptizatos a Lutheranis , quia isti pro insatiabili suo in Ecclesiam odio , ut loquitur *Rit. Mech.* , Sacramentorum formas plerumque invertunt , Magistri sui impudentiam hac in parte sequentes . Non idem vero dicendum de Calvinistis , qui eandem Ecclesiæ formam adhibent , & circa materiam a Christo institutam nihil novare ausi sunt , ut constat ex *Partibus Concilii Rothomagensis opud Zeg. Bern. Van-Espen suis Eccl. P. II. Sect. I. c. 1. §. XVIII.*